

THESIS XII.

4. A profundissimâ naturarum *ἁπλοῦς*, quâ totam carnem *Caro Christi* circumplectitur & permeat Deitas *λογος*, ut eam Deificet, sicut patet *Deificata*.
 Athanasius fermone 2. contra Arrianos. Non diminutum est verbum carnem assumendo, ut gratiam quoque desideret decipere: sed potius Deificavit, quod induerat. Idem fermone 4. contra Arrianos: Cùm Deus erat, assumpsit carnem, & in carne existens Deificat carnem. Damascenus lib. 3. c. 17. & lib. 4. c. 19. Propter unionem secundum hypostasim, caro Deificari dicitur, & Deus fieri, & ὁμόθεος verbo.

THESIS XIII.

5. A verissimâ & realissima naturarum prädicatione, quæ licet concretiva sit, communionem tamen necessario prærequirit, juxta regulam vulgatam: Dicitur requirit inesse. Sic autem loquitur Scriptura: verbum caro factum est *Job. 1. v. 14.* Deus manifestatus est in carne *1. Tim. 3. 16.* Semen Davidis est Dominus Jehova *2. Sam. 7. v. 19.* Germen Davidis est Jehova justitia nostra *Jer. 23. & c.* Unde ecclesia fecit illas propositiones personales: *Deus est homo, & homo est Deus.* Notanter Athanasius de humanâ naturâ contra Apollinarium ad illud *Phil. 2.* Superexaltavit eum Deus, & dedit ei nomen &c: de templo, *Athanasius.* inquit, loquitur, quod est corpus suum. Non enim qui altissimus est, sed caro ejus exaltatur, carnique sue Altissimi nomen donavit, quod est super omne nomen, neque verbum Dei donatitiâ ratione hoc nomen accepit, ut Deus vocaretur, sed caro ejus cum ipso simul Deus appellata est. Semper enim Deus verbum est, & ille ipse Deus factus est caro, ut ipsius caro efficeretur Deus verbum, quemadmodum Thomas palpator ipsius carnis proclamavit: *O qui es, & Dominus meus, & Deus meus, utrumque simul Deum appellans.* Hæc Athanasius d. 1. p. 530. Augustinus lib. 1. de Trinitate c. 13. & ultimo p. 256. tom. 3. Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.

THESIS XIV.

6. Ex intimâ proprietatum ac operationum divinarum communi-
 one, quæ ipsis naturis realiter communes sunt, ut verè dicatur
 contra Nestorium, *Maria virgo est Deipara*, Deus natus est ex virgine,
 Filius Dei natus est ex muliere. *Gal. 4. v. 4.* Natum ex virgine
 est filius altissimi *Luc. 1. v. 35.* quin imò proprietates & operationes
 divinae